



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
C O N T I N E N S 34.

Q U A S D A M S E L E C T A S
J U R I S Q UÆST I O N E S ,
Q U A M ,

P RÆS I D E D E O T E R O P T . M A X .

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

R O D O L P H I L E U S D E N ,

Phil. & Med. Doct. Medicinæ Anatomes & Chirurgiæ
in Academia Ultrajectina Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ decreto,*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis ,

Eruditorum examini submittit

A D O L F U S H E N R I C U S P U T M A N N U S , *Transfus.*

Ad diem 10. AUGUSTI , loco borisque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina G U I L I E L M I vande W A T E R , Academice
Typographi, c i o 10 c c v i i .

V I R I S

CONSULTISSIMIS AC CELEBERRIMIS

D. LUCAE van de POLL, J. U. D.

Ejusdemque facultatis in hac Illustri Academia Professori Ordinario, Legum interpreti eximio, omni litterarum cultu excellentissimo.

D. CORNELIO van ECK, J. U. D.

Antea in Franequeranâ, nunc vero in almâ Ultrajectinâ Academiâ Juris Professori Ordinario, Romanæ jurisprudentiæ cultori exactissimo, politioris litteraturæ antistiti egregio,

Præceptoribus, Mæcennatibus, studiorum fautioribus, optimis, facillimis, Desideratissimis.

S. D. P.

Anctor.



Tudiis Academicis coronidem impositurum
nibit adeo, quam ingens vestrorum erga me
meritorum vis,

Me coquit & versat sub pectore fixa.

Quoniam tanta est vestiarum facultatum
magnitudo, ingenii excellentia, & dignitatis
splendor: ut, probe licet teneam, nullum officium referenda
gratia magis necessarium esse; ex tenuitate tamen ac imbe-
cillitate mea deponi quicquam nequeat, quod usuras ac mul-
to minus sortem horum benefiorum quodam equare posset
modo. Quamvis enim litterarum & linguarum scientia, ju-
dicio & virtute ad invidiam usque emineatis; mibi tamen

A 2

in-

indigno, ac vobis ne quidem extremis lineis noto, non modo
fores, quasi tralatitiam favoris partem, verum etiam in-
tima amicitiae vestrae adyta referare dignati estis. Prop-
terea, haud, si quid judico, *inuria*, vos patronos & pro-
motores studiorum meorum reputare possum & debeo:
quorum opera & studio rufus animus, & vasto in juris o-
ceano non sine naufragii periculo, usque quaque fluctibus a-
gitatus, ita erectus atque confirmatus est; ut in praesentia-
rum, omnibus fere superatis scopulis, destinatum ad por-
tum cursum dirigere, commodamque sibi stationem appetere
ausit. Revocantibus itaque me in patriam parentibus atque
propinquis, non potui non hasce viles neniae vobis, vestris-
que nominibus inscribere. Pignoris loco eas obtrudere, nec
volo, nec possum; tantum enim abest, ut crediti securitatem,
aut aliquam utilitatem praestare queant, ut eas vix dignas
existimem manibus tangi vestris. Verum enimvero dantur
cum hac liberrima animi testificatione, me vobis interim be-
neficii debitorem remansurum,

Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.

Ceterum de ratione presentis instituti, ita velim habeatis;
dum mibi, receptae hujus Academiae consuetudini morigeror
in Disputatione Inaugurali ingenii & industriae vires peri-
clitanda essent: initio quidem constitueram, fidem non ita pri-
dem, in publica de tutelis disputatione, Daventriae habita,
pro altera de tutorum ac curatorum officio exaranda, ad-
strictam quolibet liberare modo. At postquam perspexi, non
solum hoc argumenti genus, utpote tritum ac vulgare, ve-
rum etiam pleraque alia penitus absorpta, quin immo ter
quaterve exiguo in temporis spatio descripta atque vulgata
esse: hoc potius tacito consilium corde damnare, quam descri-
bendo aut expilando me furti criminis reum facere volui;
atque ita cramben multoties repetitam lectoribus recoque-
re. Praetera nunquam illud insanabile scribendi cacoetes
avimum tantopere occupavit meum; ut a me impetrare po-
tuerim, illorum in hoc scribendi genere vestigia legere, qui,
vix

vix carceribus dimissi, ad intima Themidis penetralia pergerre, atque difficillimos juris nodos, ipsis juris prudentiae Cōrīphæis hactenus plane Gordios, prariginoſo quēdam juventatis ætatis fervore solvere, atque ita cornicū, ut ajunt, oculos configere, sat agunt; dum nōbis suas emendationes & conjecturas, inflata quadam confidentia pariter ac temeritate venditant. Existimantes omnia, quæ suum forsan in legibus superant captum, corrupta atque insanabilia, adeoque ense recidenda esse. Siquidem, pro sua ad dissentiendum prurigine, sibi persuadent, hæc sacra non aliter constare, nisi hanc regiam, ut vocant, ingrediantur viam. Hæc cum ita sint, ego, non ignarus mætutatis, intra meam me pelliculam continere malui, quam ut, temere cum aliquo critico pumice in proscenium extrusus, turpiter explodar. & communem experiens sortem,

---- capsa porrectus aperta

Deferar in vicum, vendentem thus & odores.

Has itaque quæſtiones conscribere satius duxi; quæ non ex uno vel altero Digestorum libro, sed ex univerſo juris corporē collectæ sunt: ut ita cum perparum facundia ac eruditione possum, materiæ varietate gratiam ſaltem ac favorem mihi conciliarem. Non ſunt commentitiae frivole, vel, ut Horatius, de lana caprina, quæſtiunculae, ſed ſelectæ quædam & præcipuae juris noſtri controverſia: quorum unam & alteram parumper diſcuſſi, reliquias ſimpliſter tantum propositis, quo uberior maneret diſerendi copia. Veftræ jam erit humanitatis & benevolentiae, Viri Celeberrimi, illud qualecumque grati animi munus tanti facere, quanti feciſſent, ſi & votis & conatibus meis eventus vel in paucis respondere potuifſet. Valete quamplurimum, Viri longæ vitate digniſſimi: interim ne quid decedat veftræ erga me benevolentiae, vehementer velim.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

CONTINENS

QUASDAM SELECTAS
JURIS QUÆSTIONES;

T H E S I S I.

Explicatio legis 7. D. de dolo malo.



N hoc diffuso & secundum plerosque nodo Gardio intricatori capite, Ulpianus inter alia occupatus est in illa quæstione longe maximi ponderis atque momenti de *dolo dante causam contractus & in eum incidente*. Quæ quam obscura sit disputatio, vel exinde constare potest; quod jam olim Citramontanos & Ultramontanos DD. in diversas rapuerit partes, & postea eruditorum virorum ingenii quam plurimas, easque à vero sepe alienissimas explicationes extorserit. Sunt, qui existimant, textum esse emendandum; mox forsan auctoritate Haloandri, nivis & inexceſſibili audacia hanc legem correctione suam facientis. Hujus quodammodo vestigia legere videtur Vir eloquentia & omni litterarum humaniorum cultur conspicuus: qui non ita pridem receptam hujus legis lectionem novo quodam emendationis genere mutare conatus est. Quamvis V. Cl. ipse affirmare non vereatur, hanc lectionem omnibus exemplaribus (quod tamen ego de Haloandri editione negandum monui) immo ipsis Basilicis optime congruere: Expungit tamen, tanquam spuria & supposititia, verba sequentia, aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptius est. Bene an male, Benevolo Lectori, mecum paulo accuratius Ulpiani mentem indaganti, fiet manifestum. Qui ex Pomponio hæc editi Prætoris verba. SI ALIA ACTIO NON SIT, tradit ita accipienda esse; Si res aliter salva esse nequeat, id est, si aliud remedium conservandæ rei non adsit, tum demum ad actionem dolii, velut ultimum refugium, & sacram anchoram, confugiendum esse. *vid. l. i. §. 4. D. & l. 2.*

l. 2. C. d. dol. mal. Ratio est, quod eiusmodi actionis genus, quo perpetua ignominia nota inuritur, non debeat temere, & sine evidenti necessitate à Pretore decerni, ut idem JCtus differat in d. l. i. §. 4. D. ad. junct. l. penult. D. d. ref. s. integr. Adeo, ut hic ad exemplum Medicorum procedendum sit, qui ad cauteria & luxationem membrorum prius non configiunt, quam levibus remediis locus esse definit. Ceterum hæc verba, SI ALIA ACTIO NON SIT, late extendenda sunt; adeo ut non sufficiat, in presentiarum non adeste aliam actionem, sed etiam non debet ante a dufuisse, ut hæc doli actio cum effectu obtineri possit. Voluti, si actio, quæ alicui competit, tempore finita sit, ea deficiente, hic non magis actionem doli instituere potest, quam is, qui actionem aliquam habebat, quam in stipulatum deduxit atque ita novavit, sed dein acceptilatione sustulit: Hic enim in utroque casu alia actio adfuit, & uterque suæ facilitati adscribere debet, quod illam tam facile peremerit. Videtur quidem huic sententiaz refragari insertum nostræ legi Juliani responsum, in verbis: neque huic sententie adversatur, quod Julianus lib. 4. scribit, si minor annis viginti quinque consilio servi circumscriptus, cum vendidit cum peculio, emporque eum manumisit, dannum in manuissimum de dolo actionem. Quasi JCtus vellet adserere, actionem doli etiam cum alia actione concurrere posse, contra mentem ac intentionem Ulpiani; cum, præter actionem doli contra manumissum, adhuc vendori superesse videatur actio venditi contra emptorem, vel in integrum restitutio ex causa minorenitatis adverlus id quod gestum est. Immo plures passim in jure nostro obviae sunt species, quæ prima fronte idem adstruere videntur. Verum enimvero Ulpianus hoc uno, instar omnium, Juliani responsu recte nos docet, multa quidem dubia & discrepantia in jure nostro videri, quæ tamen, si modo secundum præceptum Sacratissimi Principis in t. Cod. d. jure veteri enucleand. subtili animo diversitatis rationes excutere velimus, facile dissolvi possunt. Occurrit enim quæstioni pro polita & modeste per verbum videatur asserit, Julianum hic ab aliorum JCtorum opinionibus ne latum quidem unguem recedere. Cum res se ita habeat; minor viginti quinque annis, consilio & dolo servi inductus, vendidit eum cum peculio. Tantum hic fit mentio servi, & doli ab eo admissi; de dolo emptoris autem est silentium. Argumento evidenti, minorem solius servi consilio circumscriptum esse, & nullum emptoris dolum intercessisse. Quapropter Julianus etiam rectissime respondet, dannum in manumissum de dolo actionem & non in emptorem, quia ejus nullus dolus arguitur. Quin immo, trustra sunt quoque illi, qui contendunt;

dunt; in hoc casu saltet minori restitutionem in integrum ex causa minorenitatis adversus emptorem competere, eamque cum actione doli concutere: Quoniam neque lubrico status lapsus est minor, neque emptoris consilio circumscriptus, sed dolo servi, recte & cum effectu manumissi. Qui, emptione venditione propter candorem emptoris firma ac valida manente, codem modo, ut proxeneta, vel quilibet alius, cuius dolus intercessit, solus convenientius est; & quidem, ut recte innuit JCtus, actione doli, vid. l. 2. D. d. proxenet. Neque nos movet regula, quæ dictat, dominum ex ante gesto servum convenire non posse post manumissionem; à qua semper hic casus eximendus est, si dominus, consilio servi inductus, cum manumisserit, vel illi vendiderit, à quo postea manumissus est, ut non obscure indicat l. 11. D. d. minorib. Ceterum quo minus dubites de veritate hujus interpretationis, audias velim ipsum Ulpianum, qui, ut omnem porro tibi remoueat scrupulum, in hac nostra lege ita pergit, quasi diceret: ex precedentibus verbis hujus legis minime colligi potest, actionem doli cum aliis actionibus concurrere. Si queras rationem, Resp. JCtus: Julianum enim sic accipimus, carere dolo emptorem, ut ex emplo teneri non possit. Si enim dolus emptoris incidisset in contractum (quo sensu hæc verba contra ampl. Huberum accipienda censeo) ex emplo teneretur venditori. Hic obiter monendum est, hæc verba, us ex emplo teneri non possit, in quibusdam Gotofredi editionibus; socrisia forsan typographorum, parentheli inclusa esse. Etenim, continua est Ulpiani oratio, uti ex sequentibus constat: aut nullam esse venditionem, si in hoc ipso, ut venderet, circumscriptum. Hoc accipe de dolo dante causam contractui, qui contractum reddit ipso jure nullum, quæ sententia ex oppositione casum manifeste confirmatur. Dum enim ait. JCtus, aut nullam esse venditionem, si in hoc &c. Ut veritas hujus rei eo magis eluceceret, opponit istum casum alteri priori; quo, quia dolus causam non dedit contractui, sed incidit in contractum, contractus ipso jure subsistit. Atque hæc & non alia verissima Ulpiani mens est; quare etiam Cujacius ad l. 36. de V. Ob. hanc distinctionem certissimam esse juris regulam, affirmavit. Jam te dimitterum L. B. nisi negotium nobis facilliceret dicta Excellentissimi Viri emendatio, quæ totam nostram interpretationem subvertit. Huic itaque cum adhuc nihil responsum sit, quo difficultatibus ab eo propositis satisfiat, firmaque & inconcussa remaneant sententiæ ejus fundamenta: eâ, quæ decet hominem id status, atque ingenii, reverentia, tentare lubet; num eam paulisper imminuere, atque lectionem Codicis Florentini, hac supervacua, ut videtur, crisiili-

bc-

berare suffineam. Expungit enim, ut dixi, verba *aue nullam esse venditionem*, *si in hoc ipso*, *ut venderet*, *circumscripsit est*. Afferens ab imperito quodam interprete *fulte* margini apposita, atque inscritia Scribarum in textum conjecta esse. Atqui quæres, qua ratione suffulta sit hæc nova eximii interpretis emendatio? Respondeo, nullâ sane, nisi forsan hæc sit, quod concoquere non posset Vir Clarissimus, ex hac lege hactenus communiter probatum fuisse, *dolum*, *dantem causam contractui*, *contractum reddere ipso jure nullum*. Quam sententiam V. Cl. ob rationes, postea, ut insit, reddendas, neutiquam probare potest. Rejicit enim differentiam inter dolum dantem causam contractui, & in eum incidentem. Statuens, contractum ipso jure validum, verum ob dolum admissum actione *ex contractu rescindendum*. Itaque, huic sententiae ut velificaretur, nihil restabat, quam, ut, *fulta*, ut insit V. Cl., hac insertione è textu ejecta; hac nova nos doctrina bearet. Et ne dubites stultam esse, adeoque rejiciendam, pergit V. Cl., omnemque vetustatem provocat; afferendo, neminem unquam dixisse aut sensisse, bonæ fidei contractum, veluti emptiōnem venditionem, cui dolus dedit causam, esse ipso jure nullum: sed exceptionem doli mali, propter clausulam *ex bona fide*, inesse exempto actioni, ibique judicis officio contineri. Venditore vero agente, actionem de dolo malo similiter inesse ex vendito actioni, vi ejusdem clausulæ. Denique venditori agenti ad pretii solutionem, aut alio modo, actionem utilem ex vendito suppetere jure civili, neque necessariam esse actionem prætoriam de dolo malo. Vides ergo, quam firmis subnixa sit rationibus hæc Cl. V. emendatio. Etenim, cum se destitutum animadverteret veterum monumentis & manuscriptis; sine quibus illa hodie, nec finem, nec modum habens emendandi licentia, non facile admittenda est, omnes tibi veteres JCtos profert: qui nunquam, ut ait, illud de contractu bonæ fidei admisere. Verum enim vero, cum hæc singularis opinio nulla idonea probatione nitatur, & tam ex nostra lege, quam ex illis, quæ supra differuimus, manifeste contrarium colligi possit, a communione sententia recedere religio est. Præterquam, quod hæc distinctio disertissimis verbis ab Ulpiano in l. 16, §. 1. D. de minorib. tradatur. Ubi etiam, minore in societate ineunda decepto, contractus dicitur esse nullus & negatur opus esse minori restitutione in integrum, vel actione ex contractu, quæ utique necessaria esset, si contractus valeret. At contrarium obtinere, si dolus in contractum inciderit, idem JCtus diserte docet d. att. empt. junct. l. 9. D. d. dol. mal. argumento evidenti; hanc distinctiōnem esse juris tralatitii, & veteres secundum hanc controversias semper dissol.

dissolvisse: uti adhuc pluribus demonstrari posset, si modo praesentis instituti pateretur ratio. Ceterum, quod porro differit V. Cl. doli actionem & exceptionem, propter clausulam *ex bona fide*, inesse bonæ fidei contractui, illud, si intellexerit Vir. Clarissim. de contractu, in quem dolus incidit, vel de actione doli generalis, tam veterum quam neotericorum JCtorum negabit nemo: congruit enim primis juris nostri principiis, secundum quæ semper solet distingui, inter dolum generalem & specialem. Actio & exceptio doli generalis non distinguuntur ab aliis actionibus, quibuscum concurrunt; sed sunt illorum adjectitæ qualitates, adeoque sequuntur naturam actionis vel exceptionis, cum qua concurrunt. Hæc erant quæ ad hanc decantatissimam legem dicenda habui, non juvenill fervore ductus, neque contentionis cum Viro eximio, & quævis præclarâ de arte nostra merito, ac indies merente (hoc enim sanx mentis non foret) sed veritatis afferendæ studio: quæ nulla re commodus, quam sobria ac modesta disputatione ex illo puto educi potest, in quo Democritus eam demersam adseverabat.

THESES II.

Explicatio l. 13. §. 1. d. pignorat. act.

Ancquam ad explanatiohem hujus legis accedamus, operæ pretium erit primo inquirere in sententias & opiniones quoadam JCtorum: qui de vero ac genuino sensu hujus legis solliciti, emendationes ad partes vocare, atque violentam morbo medicinam parare conati sunt. Quos inter primas tenet magni nominis & stupendæ eruditiois JCtus, qui, lib. 1. prob. cap. 4. rejectis variorum interpretum opinionibus, difficultatibus hujus legis mutatione unius litteræ mederi satagit. Dum enim Ulpiani verba in textu ita se habent: *Venit in hunc contractum & dolus & culpa, si in commodato, venit & custodia, vis major non venit mutata uero in a pro ut legendum monet at, atque ita scribendum, venit in hunc contractum & dolus & culpa; at in commodato venit & custodia: vis major non venit.* Modesta sane & tam ingeniosa crisis, ut ab omnibus doctis acerrimum viri judicium, si non probari, laudibus tamen extolti mereatur. Facile enim potuit contingere, ut socios librarius pro at reposuerit ut. Uti olim pluribus demonstravit Joannes Niellius in *controvers. jur. Feudal. disput. 2. coroll. ult.* cuius verba; quoniam ad elucidationem hujus emenda-

dationis aliquid facere videntur, hic apponere lubet, quæ ita se habent: *Constat in commodato venire ex contraetus natura culpam levissimam, in pignore, levem tantum l. 5. s. 2. commod. §. ult. inst. quib. mod. re contr. obl. Ratio expressa, quod sc. pignus utrinque gratia convarabitur, commodatum plerunque accipientis tantum. Quid igitur magis ratione & textibus juris contrarium dici potuisset, quam; quod dicitur in b. §. 1. venire in actionem pignoratiam & custodiam id est culpam levissimam, non tantum dolum & culpam (levem) ut in commodato, quasi in hoc contractu, focus quam in pignore, ea tantum culpa praestanda esset. Non dubio incuria librarii pro AT repositorum, UT facilis fuit lapsus ob harum litterarum similitudinem, velut a non intelligenti comparationis rationem adjectum; vel denique transpositionem verborum esse, ut in commodato, qua legi debent post custodia. Hoc in modum præviae inspectionis, videamus jam, quid de hac emendatione statuendum sit; & num ne recepta lectio retineri, ac verus legis sensus sine emendatione executi possit. Illud enim semper mihi persuadeo, emendationes antinomias, tum demum tolerandas, quando alia commodiora remedia non suppetunt: adeoque hic eodem modo, ut in extraordinariis prætorum remediis, quæ non nisi ultima necessitate adhibentur, procedendum esse. Quam ob rem non ita priderem huic se oppoluit emendationi V. Cl. Christophorus Wechtlarus, qui ad probab. Clar. V. notas scripsit, lib. 1. cap. iv. contendens legem sine emendatione intelligi posse, modo observetur, creditorem ad duo teneri I. ut pignus apud ipsum non fiat deterius II. ut apud ipsum non amittatur; in posteriori casu custodiam, in priori culpam præstandam esse. Quasi Justinianus in §. ult. inst. quib. mod. re contr. obl. & Ulpianus in hac nostra lege loquerentur de casu posteriori, in quo custodia exigitur. Verum hæc distinctio, utpote prorsus commentitia, merito à Cl. V. lib. 1v. prob. cap. 3. rejecta ac refutata est. Ut enim huic sententiaz tota adverlatur juris analogia; sic etiam omnes textus, de præstatione culpa a gentes, tam generales sunt, ut hanc restrictionem minime patiantur. Quin immo tantum abest, ut hæc differentia ex adductis ab Ampl. Wechtlaro legibus colligi possit; ut hæc communem potius sententiam adstruere videantur. Agunt enim de re amissa vitio & segnitia creditoris, quod accipendum de culpa lata & levi, non vero de levissima seu custodia, ut Vir Cl. autumat. Quantum ad l. 5. Cod. de pign. act. illa continet calum specialem, nimirum, si creditor asserit sine vitio, id est sine culpa sua, sed casu fortuito, rem oppignoratam deperditam; Alexander rescribit, illum eo in casu liquidissimis argumentis probare debere, rem vere casu fortuito deperditam esse, ut a restitutione liberari possit, quod est contra communem*

regulam: alioquin *culpæ* præstatio incumbit debitori, de lœsione & culpa creditoris, oppignorata rei illata, agenti arg. *l. 4. Cod. d. Edend. l. 18. s. 1. D. d. probat.* Verum hinc minime probatur casus secundus dictæ *Ampl. Wechtæri distinctionis*, nimirum ad custodiam teneri creditorem in casu rei amissæ. Posthabitatis itaque *Wechtæri* & aliis aliorum opinionibus, non vereor pedibus ire in sententiam Clarissimi Viri Jacobi Cujacii, exigitantis hanc legem sine ulla crisi intelligi posse, modo in pignore eodem modo, ut in commodato, distinguatur, an dantis, an accipientis, an utriusque versetur utilitas; Et si dantis gratia tantum contrahatur, tam in commodato, quam in pignore dolum solum & latam culpam, sin accipientis, levissimam præstari: Denique, si utriusque gratia contrahatur, ad levem tantum culpam adstringi, & creditorem, & commodatarium. Et licet Vir summus illud non operose demonstret, hanc tamen menem esse Ulpiani in hac lege, nullus dubito. Neque adeo indefinita est hæc oratio, quin hanc restrictionem optime ferre possit, ut male negat Bachovius. Non enim propositum fuit Ulpiano, denuo hic generalem actionis pignoratitiz naturam excutere, quod fecit antea in *lib. 28. ad Editum* vid. *l. 5. s. 2. Commun.* Verum hic circa specialia hujus actionis versatur, & tantum illud intendit, ut demonstret, pignus etiam quandoque pro ratione conventionis, quæ contractui legem scribit, vid. *l. 23. d. R. f. l. 1. §. 6. depos.* aliam induere formam, & nunc levem, nunc levissimam culpam recipere. Adeo ut cum relatione ad istam communem regulam dictæ legis *s. 2.* videatur loqui, *JCtus*, dum ita infit; *venit autem id est et, etiam,* quo sensu hæc vox sapissime occurrit apud probatos auctores. Ac si diceret Ulpianus non solum secundum communem regulam, quam supra tradidi in *lib. 28. ad Editum*, in hanc actionem levis venit culpa, ut in commodato, utriusque gratia contracto, sed etiam, nonnunquam *venit et custodia*, id est, culpa levissima. Feliciter, si pignus tantum creditoris gratia contractum fuerit. Veluti, si ille jus crediti æreus durame et avarugassim, sine coactiva agendi facultate habet. Frequens enim usu venit, ut aliquis ultro & sponte amico roganti pecuniam credat, qui, non obstante illa spontanea pecuniae oblatione, tamen creditori suo in securitatem crediti pignora præstat. Quo casu pignus contractum est sine pignore, id est pignus sine mutua conventione creditori ultero à debitore constitutum est, & creditoris tantum vertitur utilitas. Quoniam non est datum à debitore, ut ipsi pecunia, ne potest jam sponte obligata, credatur; sed ut securitati & commodis creditoris plenissime conlubatur. His itaque positis terminis habilibus, lex optimum habet sensum;

ne-

neque hoc modo commodati, neque pignoris propria natura subvertitur, ut existimat Vir Clar. Nam quod V. Celeb. ita argumentatur, si in pignore culpa venit, ut in commodato, si præterea etiam custodia, consequens erit, ut plus in pignoratitia actione præstetur, quam in commodato; illud speciem haberet, si hanc legem cum aliis de propria pignoratitia actionis natura, & non de certa specie acciperemus. Nam, licet in genere verum sit, in pignoratitia levem, ut dixi supra, culpam præstandam, in commodato levissimam: Ulpianus tamen hanc comparationem hic instituit, ut doceat, nonnunquam commodato illud commune esse cum pignore; ut, deprehensa utriusque contrahentis utilitate, in utroque contractu levis culpa præstetur, &, versa vice, in utroque levissima, si solius accipientis versetur utilitas. Quæ omnia eo verosimiliora sunt, quod in specie contraria hæc comparatio inter pignus & commodatum iisdem pene verbis à Gajo proponatur in l. 18. D. *Commodati*, qui postquam in initio legis naturam actionis commodati expeditisset in genere, tandem circa finem eodem modo uti Ulpianus d. l. 5. §. 2. *commodati*, ad specialia transit & quidem his verbis: *Si utriusque gratia, veluti si communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus rei curam suscepisses, & ego tibi argentum commodaverim, scriptum quidem apud quofdam invenio, quasi dolus tantum præstare debeas, sed videndum est, ne & culpa præstanda sit, ut ita culpa fiat estimatio, sicut in rebus pignoriatis, & dotalibus estimari solet.* En tibi, ea, qua potui brevitate, verissima ac simplicissima hujus legis interpretatio: qui interim plura desiderat, adeat velim illud suis doctrinæ radiis undique coruscans Lugdunensis Academiz Sidus, Joann. Voet in suis *Comment. ad i. ff. d. pignorat.* act.

III. *Servitus nec rationi naturali, nec juri Divino aut gentium est contraria.*

IV. *Confusudo abrogat legem priorem.*

V. *Communis ~~gratia~~ non facit ius.*

VI. *Rejicitur communis interpretum divisio in Jus Gentium primevum & secundarium.*

VII. *Jurisdictio criminalis non potest prorogari.*

VIII. *Merum imperium in casu absentia mandari potest.*

IX. *Immo etiam in casu afflictæ valetudinis, ut ratio vult.*

X. *Ex nudo pacto nunquam nascitur actio.*

XI. *Pacta negotiis b. f. in continentis adjecta, iis in sunt.*

DISPUTATIO JURIDICA.

- XII. Quod de stricti juris contractibus negatur.
- XIII. Excepta, ut videtur stipulazione, cui etiam in sunt pacta, in continentis apposita.
- XIV. Pactum de quo quis sit, ob concussions & calumnia metum prohibitum.
- XV. Quo respectu etiam videtur reprobari pactum medici & agrosi, post suscepit agrosi curam.
- XVI. De crimine falsi transfigere non licet, neque illud probari. 18. C. d. transacti.
- XVII. Negotiarum gestor tenetur de culpa levissima.
- XVIII. Non agnosco duplex judicium rescindens & rescisorium.
- XIX. Lex 7. d. cap. minut. non indiget emendatione.
- XX. Post legem ult. Cod. d. temporib. integr. rest. omnia remedia, quibus, quis in integrum restituitur, non biennio, sed quadriennio terminari videntur.
- XXI. Querela de inofficio testamento etiam legatariorum competere potest.
- XXII. Qua actio non est judicium preparatorium, sed ipsa hereditatis petitio.
- XXIII. Condictio ad supplementum est perpetua, frustra dissentiente Ampl Hubero.
- XXIV. Rei vindicatio competit vero rei domino.
- XXV. Adeo, ut etiam sufficiat, illum, pendente lite, dominium acquisivisse.
- XXVI. Bonae fidei possessio omnes omnino fructus suos facit.
- XXVII. Actio Emphyteuticaria est bona fidei.
- XXVIII. Ad emphyteusin non requiritur scriptura.
- XXIX. Usufructarius cedendo usumfructum extraneo, id est, alteri quam domino, ita nihil agit, ut ususfructus neque extraneo, neque, domino acquiratur.
- XXX. Actio fixium regundorum est regulariter bona fidei.
- XXXI. Exceptio non numerata pecunia post biennium opponi nequit, licet debitor onus probandi contrarium in se suscipiat.
- XXXII. Mutuum est verus contractus.
- XXXIII. Poena perjuri non est nulla.
- XXXIV. Omnes conditiones in lib. 12. D. relatae videntur stricti juris.
- XXXV. Actio funeraria est bona fidei.
- XXXVI. Nulla proprie loquendo datur actio pratoria bona fidei.
- XXXVII. Non est pugna inter l. 63. pro loco & l. 16. d. re jud.
- XXXVIII.

- XXXVIII. Tam urbana, quam rustica servitutes nondum constituta pi-
anori dari possunt.
- XXXIX. In concursu plurium creditorum de dote agens mulier prefertur
fisco.
- XXXX. Ad quod privilegium sponsa rectissime admittitur.
- XLI. Eiusmodi nudo pacto constituta contrario pacto tollitur.
- XLII. Si empor sciens rem alienam emerit cessat cautionis prestatio.
- XLIII. Ita ramen, ut emptori pretium restituendum sit.
- XLIV. Usure jure naturali, Divino & Gentium licita atque permisæ sunt.
- XLV. In l. 5. D. d. Fœnor. nautic. pro conditiones legendum conditiones.
- XLVI. Matrimonium non est contractus.
- XLVII. Prinzipiorum nuptia licite sunt.
- XLVIII. Due lexoxes recte nubunt duobus fratribus.
- XLIX. Neque prohibetur altera patri, altera filio jungi, aut fratum al-
ter matrem, alter filiam ducere.
- L. Fratrum liberi, si soli sint, succedunt in capita, & non in stirpes.
- LI. Prater consensum ad matrimonium nihil de substantia requiritur.
- LII. Hinc pater deductionem in domum mariti neque esse, neque unquam
fuisse de substantia matrimonii.
- LIII. Multo minus sacerdotalem benedictionem.
- LIV. Fideicommissum etiam inter vivos & in contractibus constitui potest.
- LV. Actionum cumulatio jure Romano prohibita est.
- LVI. Actiones contra re non minus quam directæ sunt bona f.
- LVII. Concubinatus legibus Romanis licitus atque permisus est.
- LVIII. Actio civilis injuriarum ex lege cornelia est perpetua.
- LIX. Injuriam verbis illatam verbis retorqueri licet.
- LX. Jure Romano justineaneo pœna furti non fuit capitalis.

F I N I S.

- XII. Quod de stricti juris contractibus negatur.
- XIII. Excepta, ut videtur stipulazione, cui etiam in sunt pacta, in continentis apposita.
- XIV. Pactum de quo quis sit, ob concussores & calumnia metum prohibitum.
- XV. Quo respectu etiam videtur reprobari pactum medici & agroti, post suscepit agroti curam.
- XVI. De crimine falso transfigere non licet, neque illud probat. 18. C. d. transact.
- XVII. Negotiarum gestor tenetur de culpa levissima.
- XVIII. Non agnosco duplex judicium rescindens & rescisorium.
- XIX. Lex 7. d. cap. minut. non indiget emendatione.
- XX. Post legem ult. Cod. d. temporib. integr. rest. omnia remedia, quibus, quis in integrum restituuntur, non biennio, sed quadriennio terminari videntur.
- XXI. Querela de inofficio testamento etiam legatariorum competere potest.
- XXII. Quae actio non est judicium preparatorium, sed ipsa hereditatis petitio.
- XXIII. Condictio ad supplementum est perpetua, frustra dissentiente Ampl Hubero.
- XXIV. Rei vindicatio competit vero rei domino.
- XXV. Adeo, ut etiam sufficiat, illum, pendente lata, dominium acquisuisse.
- XXVI. Bonae fidei possessio omnes omnino fructus suos facit.
- XXVII. Actio Emphyteuticaria est bona fidei.
- XXVIII. Ad emphyteusin non requiritur scriptura.
- XXIX. Usufructarius cedendo usumfructum extraneo, id est, alteri quam domino, ita nihil agit, ut ususfructus neque extraneo, neque, domino acquiratur.
- XXX. Actio finium regundorum est regulariter bona fidei.
- XXXI. Exceptio non numerata pecunia post biennium opponi nequit, licet debitor onus probandi contrarium in se suscipiat.
- XXXII. Mutuum est verus contractus.
- XXXIII. Pœna perire non est nulla.
- XXXIV. Omnes conditiones in lib. 12. D. relata videntur stricti juris.
- XXXV. Actio funeraria est bona fidei.
- XXXVI. Nulla proprio loquendo datur actio prætoria bona fidei.
- XXXVII. Non est pugna inter l. 63. pro locio & l. 16. d. re jud.
- XXXVIII.